

Contra quoscumque Clericos, tam saeculares quam regulares, nefandi criminis reos.

**PIUS EPISCOPUS (SANCTUS PIUS Pp. V)
SERVUS SERVORUM DEI**

Ad perpetuam rei memoriam.

Horrendum illud scelus, quo pollutae foederatae Civitates a tremendo Dei iudicio coflagrarunt, acerbissimum Nobis dolorem inurit, graviterque animum nostrum commovet, ut ad illud, quantum potest, comprimendum, studia nostra conferamus.

#1. Sane Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum, ut quicumque Clerici, illa incontinentia, quae contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiae, deprehensi fuerint laborare, a Clero deiiciantur, vel ad agendum in Monasteriis poenitentiam detrudantur.

#2. Verum ne tanti flagitii contagium, impunitatis spe, quae maxima peccandi illecebra est, fidentius invalescat, Clericos hujus nefarii criminis reos, gravius ulciscendos deliberavimus, ut qui animae interitum non horrescunt, hos certe deterreat civilium legum vindex gladius saecularis.

#3. Itaque quod Nos iam in ipso Pontificatus nostri principio hac de re decrevimus, plenius nunc, fortiusque persequi intendentes, omnes, & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos saeculares, & regulares cujuscumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico praesentis Canonis auctoritate privamus. Ita quod per Judicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim saeculari tradantur, qui de eis illud idem capiat

supplicium, quod in laicos hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum. Nulli ergo &c.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1568. 3. Kal. Sep. Pont. nostri Anno III.